

1096, diciembre, 17

El abad Frotardo de Saint Ponce de Thomières da la capilla de la Zuda a Montearagón.

Anno Incarnationis Domini Nostri Ihesu Christi millesimo nonagesimo sexto. Deuicto rege cesaraugustano et occisa multa gente paganorum et etiam christianorum adiutoria ferentium cyrciter XXX^a milia, V^o kalendas decembris ingressus est inuictissimus rex Petrus in Oscam ciuitatem. Quo intrante, capellaniam Zude dedit abbati Sancti Poncii sicut pater eius donauerat si umquam ab eo capta fuisset. Quam capellaniam cum teneret abbas Sancti Poncii a die illa usque ad sextum X^{vm} diem kalendis decembris et episcopus iaccensis quereret miskidam ut sedem episcopalem in ea poneret, et rex cum abbate Symeone⁶² contradicerent eo quod Sancius rex dederat illam Ihesu Nazareno de Monte Aragone, presente archiepiscopo terragonensi et episcopo pampilonensi et Didaco episcopo Sancti Iacobi, facta est de hac re talis commutatio ut episcopus iaccensis haberet miskidam pro sede, cum omnibus suis pertinentiis et abbas Sancti Poncii et monachi eius haberent illam ecclesiam antiquam Sancti Petri, cum omnibus ad se pertinentibus et ecclesia Ihesu Nazareni haberet capellaniam de Zuda cum omni suo iure quod et factum est. Id circo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ego Frotardus thomeriensium abbas cum consensu monachorum meorum, laudante Petro episcopo oscensium siue iaccensium et Berengerio archiepiscopo terragonensium et Petro episcopo pampilonensium et Didaco episcopo Sancti Iacobi, annuente Petro rege et principibus eius et Sancia comitissa, dono Ihesu Nazareno de Monte

⁶² Jimeno. V. DURÁN, *El castillo abadía...*, p. 27.

Aragone et Simeoni abbati et successoribus suis, clericisque tam presentibus quam futuris, in perpetuum habendam, capellaniam Zude de ciuitate Osca, cum toto suo iure, sicut umquam Deo donante melius habebit.

Facta karta istius donationis, commutationis uel concambiationis sub die XVI kalendarum ianuarii, laudante et confirmante rege Petro Sancii et Sancia comitissa et principibus aliis terre.

Ego Petrus episcopus oscensis hanc donationem et concambiationis commutationem conlaudantibus et subscribentibus kanonicis meis feci et conscribere iussi et manu mea hoc signum (*signo*) feci. Signum (*espacio en blanco*) Sancii prepositi. Signum (*signo*) Luponis archidiaconi eiusdem ciuitatis. Signum (*espacio en blanco*) Galindonis prioris. Signum (*signo*) Stephani archidiaconi. Garsie capellani (*signo*). Signum (*signo*) Sancii. Signum (*espacio en blanco*) Berengarii archiepiscopi terragonensis (*signo*). Confirmo ego Petrus episcopus pampilonensis. Signum (*espacio en blanco*) Poncii abbatis Sancti Victoriani. Signum (*signo*) Simeonis abbatis Ihesu Nazareni. Signum (*espacio en blanco*) Galindonis abbati Montissoni. Signum tocius capituli oscensis siue iaccensis (*signo*) Signum Fortunio Fortiz (*espacio en blanco*) Signum Petri Sancii de Bolutania. Signum (*espacio en blanco*) Lupi Lupiz de Rosta et de Uno Castel.

Ego Frotardus abbas laudo et confirmo et hoc signum manu mea facio (*signo*).

Signum Sancti Iacobi (*espacio en blanco*).

Ego quoque Petrus Sancii gratia Dei rex aragonensium pampilonensium hanc (*tachado*) ripacorcensium hanc donationem et commutationem laudo et confirmo et hoc signum manu mea inprimo (*espacio en blanco*).

Signum (*signo*) Aldefonsis fratri regis. Signum (*signo*) Sancia comitisse.

AHN. Clero. Montearagón. Carp. 621, n.º 19. Copia del siglo XII.

Publica Antonio Ubieto⁶³, Colección diplomática de Pedro I..., doc. 25, pp. 243-245.

⁶³ UBIETO ARTETA, ANTONIO, Colección diplomática de Pedro I de Aragón y de Navarra. Zaragoza, 1951.